

ORATIO

QUAM IN

Sollemni Studiorum Instauratione

PRO CURSU ACADEMICO

1908-1909

IN

Conciliari Sancti Indaletii Seminario

HABUIT

Doctor Dominus *Arthurus Menán et Garibay*

Almae et Apostolicae Cathedralis Ecclesiae Canonicus Lectoralis

ET

in praedicto Seminario Sacrae Scripturae Professor

De Illmi. ac Rmi. Episcopi mandato et approbatione



ALMERIAE

APUD JOANNEM BEDMAR

1908

ORATIO

QUAM IN

Sollemni Studiorum Instauratione

PRO CURSU ACADEMICO

1908-1909

IN

Conciliari Sancti Indaletii Seminario

HABUIT

Doctor Dominus Arthurus Menán et Garibay

Almae et Apostolicae Cathedralis Ecclesiae Canonici Lectoralis

ET

in praedicto Seminario Sacrae Scripturae Professor

De Illmi. ac Rmi. Episcopi mandato et approbatione




ALMERIAE

APUD, JOANNEM BEDMAR

1908

R 247

HEMEROTECA PROVINCIAL
SOFIA MORENO GARRIDO
ALMERIA



Tu es Christus, Filius
Dei vivi...
Math. XVI, 16

Illustrissime Domine:

Doctores ornatissimi caeterique adstantes:

CUM plures passim, lugendis hisce temporibus, nobis in catholica disciplina enucleanda adferantur quaestiones, quaedam attamen peringentis momenti non dicam sana mente attingenda tantum sed praeponenda omnino disputatio est; ea nempe quae cultiores viros alios ab aliis disjungit, imo et perpetuo dissociabit, quaeque circa Christi Domini Divinitatem undequaque exagitata reperitur. (1)

Porro licet a ligno Christus Dominus jam diu ubique terrarum dominationem obtineat, ejusque imperii jamjam vicissimum saeculum attigerit feliciter, dubium est nemini quanta nunc animorum anxietate quantoque nisu in sapientiorum coetibus ac academiis quaesitum illud callidius proponatur, quod olim Christus Jesus, sui regni mysteria sub diversis symbolis cum exposuisset (2), pharisaeis adversus illum congregatis

(1) Didon, *Jesucristo, Introd.*

(2) *Math, XX, 1 et seqq...*

proposuit, ita illos interrogans: *¿quid vobis videtur de Christo? cujus Filius est?* (1)

Patet autem, quod vel maxime dolendum verendumque est, inimicorum Crucis Christi postrema hac aetate numerum admodum crevisse; eosque pristinorum haereticorum amplissimam nactos quasi hereditatem, simulque hodierni Rationalismi placita amplexos, sectam novissimam nuper efformasse, *Modernismum* nempe, qui omnium prorsus haereseon collectum meruit nuncupari (2). Ea est autem Modernistarum prava mens isque conatus, ut securim non ad ramos surculosque ponant, sed ad radicem ipsam, fidem nimirum fideique fibras altissimas: quare artibus omnino novis astuque plenis, vitalem Ecclesiae vim elidere, ipsumque, si queant, Christi regnum evertere funditus nituntur (3). Ab eis, ergo, si praefatae quaestionis aequam quis solutionem quaereret, nemo non videt quam id faceret inaniter.

E contrario, ex agmine catholico vox quaedam ad aures venit quam validissima, quae quidem orthodoxae Traditionis, et Patrum, omniumque propaginum gemina vox est, quaeque saeculorum tractu revelatam divinitus Petri confessionem ubique gentium sexcenties iterat, *Tu es Christus*, inquires, *Filius Dei vivi...* (4) Sed hujusmodi confessionem quam utique nationes omnes voce contendunt sua, characteribus haud unquam delendis potissimum habet conscriptam quidam per eximius imo prorsus coelestis Liber, Divinitatis Christi aere perennius monumentum perinclitum (5), vere memoriale Domini, cum eoque in generatione et generationem permanens (6), Evangelium scilicet Sancti Joannis Apostoli, aeternum, inquam, Evangelium, quocum evangelizatur sedentibus super

(1) *Ib.* v. 42.

(2) *Enc. Pascendi... et Motu Propio* 18 Nov. 1907.

(3) *Enc. Pascendi.*

(4) *Math.* XVI. 16.

(5) Bossuet, *Discours sur la Nativ.*

(6) *Ps.* CIII.

terram.. (1) Equidem nihil hoc codice excogitare quis poterit sublimius: nec alius, eo melius, gloriose sibi blandiri quispiam poterit, de cumulata ac undique perfecta solutione, quam praelaudatae quaestioni de Christi Domini apud homines existimatione praebet: quid namque nobis videndum sit de Christo, nimirum verum esse Deum verumque Hominem, concinne et quam praestantissime in enuntiato Evangelio aureis litteris declaratur: ait enim: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum... Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis...* (2) Addas praeterea quod praelaudatum Evangelium ea mente eoque consilio, ipso Auctore teste, fuerit scriptum, *ut credamus quia Jesus est Christus Filius Dei...* (3) Qui quidem scopus ad perfectionis apicem quam in eo adducatur mirifice, non illum profecto fugiet qui duas, quibus constat, partes vel obiter discussit; priorem nempe, seu quasi Libri prooemium in qua concisse sed mirum in modum duplicem Christi naturam, ad instar aquilae intuitus, adumbrat Joannes; ac alteram, quam corpus operis non incongrue dixeris, in qua, et Magistri conciones Divinitatem docentis suam, et Thaumaturgi mira facta, quibus Magistri doctrina divinitus roboratur, geminata probatione ab ipso recensentur.

En ratio cur, hinc hodierni Rationalistae, Protestantismi quasi filii et heredes (4), quemlibet respuentes supernaturalem ordinem; hinc nuperrime Modernistae, qui ipsam Divini Reparatoris Personam ad purum putumque hominem ausu sacrilego extenuare conantur (5), furenti animo videantur irruere in IV Evangelium seu Evangelium Joannis, quod ideo nunc, ut cum maxime, sapientum oculos in se convertere cernitur. En

(1) Apoc. XIV. 6.

(2) Joann. c. I. vv. 1 et 14.

(3) Joann. XX. 31.

(4) Leo XIII Enc. *Providentissimus*.

(5) Pius X, Enc. *Pascendi...*

item ratio cur nos, qui id nobis gloriae ducimus praeclarae quod ab incunabulis sub Petri confessionis vexillo mereri coepimus, Joannis Evangelium, quod profecto Divinitatis Christi amplissima quaeque apotheosis est, et studiose diligere, et strenue pro viribus propugnare adgrediamur.

Quapropter cum prae cunctis humanis rebus id mihi in optatis semper fuerit, ut Illius, quem mens utique mea ex intimis praecordiis colit, scilicet, Magistri Boni ac hominum Reparatoris mitissimi, ubique et dignoscatur et confiteatur Divinitas, hac de causa, utque munus mihi aequo benignius injunctum rite persolvam, in sermone instituendo sollemni hac studiorum instauratione occurrente, pergratum mihi jucundumque bona vestra venia maxime erit, Joannis Evangelii causam contra Modernistas agere ac sub Immaculatae Virginis Deiparae faustis auspiciis, opemque ferente B. Indaletio, alumni hujus C. Seminarii coelesti Patrono, *de authenticia IV Evangelii contra Modernistas* pauca delibare.

Vestra mihi, quaeso, prosequatur indulgentia.

Fateor ingenue plura potuisse, in ioannica quaestione dilucidanda, circa praefatam meam thesim ad limam adduci, ea praesertim quae Joannis Evangelii veracitatem adspiciunt, ejusque non poeticam nec mysticae speculationis sed prorsus historicam indolem; item miraculorum, quae in eo recensentur, naturam; ac per lucidas, quae ex Christi sermonibus dimanant, conclusiones circa ejus Divinam Personam, ejusque suae dignitatis messianicae conscientiam plenissimam spectantes; et alia. Attamen, circa haec omnia cum nuper Roma locuta fuerit, placuit, ne aequo longius abiret oratio, cuncta praedicta nunc eliminare, et de ejus authenticia tantummodo, quam novissima Pontificis documenta non nisi passim tangere videntur, quaedam pro praesenti rerum captu enucleare.

Praeterea praenotare liceat, non nos hic agere de quodam

fidei articulo, vel saltem statuere quod, cum de IV Evangelii authentia loquimur, disputationem nostram non sub aspectu dogmatico, sed historice, prout est res facti, dilucidare pergitur: ratum autem illud fixumque est quod facta, ut scite docuit s. m. Leo XIII (1) utque vulgatum fert adagium, per testes sunt probanda; quibus in alicujus libri genuinitate suadenda non parvo quidem adjumento sunt interna indicia et conjecturae, praesertim ubi veterum scriptorum testimonia non satis clara aut copiosa suppetunt, si vero externis argumentis unquam minime praeferantur (2) Quae licet ita sint, ut tamen eloquentiae paulum indulgeam de dispositione regulis, non aegre feretis quod primo loco de ipsius facti, ut ita dicam, natura interna; postea vero de iis quae ipsius facti naturam vel bene vel male externe afficiunt, disseramus.

Itaque, ut clariori stilo ac methodo circa propositam thesim me geram, orationem meam in tres praecipuas dividam partes, in quarum prima interna argumenta proponam; in secunda vero et tertia parte externa argumenta, propugnancia nempe et oppugnancia, deinceps singula in arenam adducam: quibus finitis, et tota haec mea praesens finietur elaboratio.

Ad primam jam ergo mei pensi deveniamus partem.

In confesso illud est quod interna argumenta nuncupantur conjecturae illae seu indicia, quae ex ipsa libri natura desumuntur, quibusque libri genuinitas apparet.

Nunc igitur indicia quaedam in nostro Evangelio existentia recenseamus. 1.^{um}, Auctor seipsum declarat eorum, quae narrat, oculatum ac praesentem testem (3); loca designat ubi

(1) Enc. *Providentissimus*.

(2) Ubaldi, *Introd. crit.* c. I. Murillo, *El cuarto Evang.*, *Introd. II.*

(3) I. 14. XIX, 35. XXI, 20 et 24.

Christus vel ejus Apostoli aliquid dixerunt aut fecerunt (1); illa, quae secreto dicta sunt, refert (2); et alia plura, quae immediatum et oculatum testem denuntiant. 2.^{um}, auctor fuit judaeus, et quidem galilaeus: patet ex ipsius hebraismis, locutionibus et figuris, ex Lege et Prophetarum oraculis desumptis (3): accedit quod Iudaeae, Galilaeae et Samariae geographiam (4), topographiam (5), et mores (6) optime noscat; cunctas Templi partes singillatim describat (7): de moribus a Romanis invectis, loquatur (8); quae certo judaeum galilaeum indicant auctorem: Joannem vero ex Bethsaida vel Capharnaum oriundum fuisse latet nemini. 3.^{um}, Auctor ad Zebedaei familiam pertinet; hujusmodi assertio sane jure statuitur: Joannis namque Evangelium quod vel in minimis abundat circa Andream (9), et Petrum (10), et Philippum (11), et Thomam (12), et Judam Thadaei (13), adhuc autem et nefarium Judam Iscariotem (14) quid est quod, uno tantum excepto v. 2 cap. XXI, constanter taceat circa illustrissimam quamque Zebedaei familiam et natos, nisi quod, modestiae gratia, silentium illud auctor ipsemet, quoad se propriosque parentes et fratres, consulto curet? 4.^{um} demum, quod tamen praecipuum ponderis obtinet locum, desumitur ex versu 24 capitis

(1) I, 28; II, 12; III, 23; IV, 3, 5, 6, 45, 46; VI, 12, 60; VIII, 20; X, 23; XI, 18, 54.

(2) I, 35-51; XIII, 1-20; XVI et XVII; XXI, 1-14.

(3) III, 29; XVII, 12; IX, 32; VII, 8, 10; VIII, 43; III, 11; V, 37; XIII, 16; VI, 39, 40, 44; II, 9; III, 14; VI, 32, 49; VII, 38; VIII, 12; X, 10, 11; I, 36.

(4) VI, 1, 17, 19; II, 1; IV, 46; I, 28 et XII, 21; II, 12; IV, 5, 35.

(5) XVII, 1; IX, 7; V, 2; II, 20; VIII, 20; X, 23; XIX, 9 et 17.

(6) II, 6, 14; X, 22; XII, 20; VII, 22, 23, 37, 38; X, 1, 5; III, 27; XI, 55; XVIII, 28, 39; XIX, 39-42; XI, 38; XX, 1.

(7) II, 20; V, 2; VIII, 20; X, 23.

(8) XVIII.

(9) I, 37-42; VI, 8; XII, 22.

(10) I, 42; VI, 69; XIII, 6, 24, 36, 37; XVIII, 15, 25-27; XX, 2-6; XXI, 2, 3, 11, 15-20.

(11) I, 43-46; VI, 7; XII, 21, 22; XIV, 8, 9.

(12) XI, 16; XIV, 3.

(13) XIV, 22.

(14) VI, 72; XIII, 26-31.

XXI, sic aientis: *Hic est discipulus ille qui testimonium perhibet de his, et scripsit haec...* Notemus oportet, 1.º quod intra verba *de his* et *haec* non ea tantum quae cap. XXI narrantur, sed Evangelium integrum includitur: auctor enim omnia Christi gesta in scriptis relata et non relata bipartitur (1): Christi autem gesta scriptis relata non omnia complectitur c. XXI, sed per viginti praecedentia capita sparsim continentur: 2.º, quod verba illa *Hic est discipulus ille* perspicuam haud dubio dicunt relationem ad vv. 20-23, ubi sermo est *de discipulo quem diligebat Jesus... qui et recubuit in coena super pectus ejus...* Unde evidenter sequitur auctorem IV Evangelii fuisse illum Christi discipulum aliis praedilectum. Nunc igitur discipulum aliis praedilectum inter duodecim apostolos esse quaerendum nemini dubium est, sive quia istius praedilectionis erga aliquem exhibitio hujusmodi sit naturae ut familiaritatem quamdam arguat; sive quia coenae, Synopticis testibus, vel alius quispiam praeter duodecim adfuerit nemo. Pro certo autem illud habetur quod suos apostolos, alios prae aliis, dilexerit Christus: Petrum vero et Jacobum Zebedaei, hujusque fratrem, Joannem, a Christo prae caeteris dilectos fuisse, item apud omnes constat: patet ergo Christi discipulum aliis praedilectum unum ex his tribus fuisse: sane Petrus non erat cum ab hujusmodi discipulo c. XIII vv. 23 et 24, ac c. XXI v. 18 et seqq. plane distinguatur: item nec Jacobus, frater Joannis, quia ann. 44 jam martyrio fuerat coronatus: restat ergo quod Joannes fuerit discipulus maxime Christo aliis praedilectus, ideoque et auctor IV Evangelii, ab ejus nomine nuncupati.

Ad secundam igitur hujusce elaborationis jam acceda-

(1) vv. 24 et 25.

mus partem, in qua promissi externa argumenta nostram thesim propugnancia enucleare.

Revera, Joannis Evangelium, utpote protocanonicus liber, a saeculo III in universa Ecclesia unanimiter admitti latet neminem; quodque adversarii ipsi ultro concedunt. Hoc posito, demonstrare liceat tribus prioribus saeculis eandem fuisse in Ecclesia persuasionem.

Porro, hujus persuasionis testis eximius haud dubio in primis reputatur Eusebius, praeclarus Ecclesiae Caesariensis antistes, qui, ut suam conflaret percelebrem Historiam Ecclesiasticam, quidquid ad illam usque aetatem ab ecclesiasticis auctoribus fuerant conscripta, longe accuratissime perlegit. Hic igitur mirae eruditionis vir, dum Joannis Apostoli libros scrutatur, cum de ejus loquitur Evangelio, omnium undique fidelium certitudinem exprimens, dicit *ipsummet ab omnibus, utpote apud cunctas notum Ecclesias, incunctanter esse admittendum* (1)

Eusebium sequitur Origenes, praeclarum scholae Alexandrinae lumen, in SS. Litteris et in critica arte doctissimus ac perpolitus vir, quique *eruditionis et scientiae prodigium* jure meruit appellari. Hic ergo qua egregius et locuples non dicam Africanae tantum Ecclesiae sed omnium undequaque Ecclesiarum testis, ita loquitur: «Sicut ex traditione accepi de quatuor Evangeliiis, quae sola in universa Dei Ecclesia, quae sub coelo est, citra controversiam admittuntur:... postremum vero Evangelium Joannis» (2).

Unde III Ecclesiae saeculo unanimem ac certam persuasionem apud omnes fuisse de ioannica IV Evangelii origine non immerito concludam: eandem autem persuasionem sae-

(1) Hist. Ecc. Lib. III, cap. XXIV.

(2) Ap. Eus. ub. sup. Lib. V. c. XXV. Non abs re erit animadvertere SS. PP. testimonia, quae passim ab AA. recitantur, ex laud. edit. *Migne Patrum tum Lat. tum Graec.* passim desumi. Cf. etiam Dr. Funk, *Opera Patrum Apostolic.*

culo II in altera ejus parte itidem exstitisse, sequentia testimonia luculenter demonstrabunt.

Priusquam vero ea in medium adducam, placuit obiter notare hujuscemodi testimonia ad IV Evangelii primordia vel maxime accedere, cum ex quaestione compertum habemus ea fere ipsius sacri Libri apparitionis tempore fuisse prolata: item, praelaudatos scriptores non unius tantum singularis regionis sed cunctarum orbis Ecclesiarum fidem declarasse: his addas quod eorum testimonia, una tantum excepta insanientum Alogorum contemptibili opinione, nulla interjecta protestatione fuerunt prolata: ac demum quod ejusmodi unanimis attestata persuasio tranquilla praescriptione gaudens, diuturna fuerit et stabilis, minime vero nova ac recens et, ut ita dicam, ipsis auctoribus concreata ut vel infesto judicio hodiernus Rationalismus gratis statuit: praedictam enim persuasionem et Ecclesiarum fidem tanquam apud omnes diu receptam nostrates scriptores tradunt; et nonnunquam etiam ad majorum traditionem expresse appellant (1)

Hisce notatis, eo vertatur unde declinavit oratio.

Tertullianus, summae quoque eruditionis vir et ad Christianam Religionem ann. circiter 180 conversus, sub finem II et initium III Ecclesiae saeculi scripsit; ac apostolicam IV Evangelii originem *in lib. IV contra Marcionem c. II* vindicans, «constituimus, inquit, in primis Evangelicum instrumentum Apostolos auctores habere, quibus hoc munus Evangelii promulgandi ab ipso Domino sit impositum...»: et *infra*, capite V; «eadem auctoritas, ait, Ecclesiarum Apostolicarum caeteris quoque patrocinabitur Evangeliiis, quae proinde per illas habemus, Joannis dico, &c.»

Alius sese offert sub finem II saeculi testis eximius, scilicet, Clemens Alexandrinus, Origenis Magister, qui gratam

(1) Vigouroux, *introd. au N. T.*—Ualdi et Murillo, *ubi sup.*

habuit traditionem, quae refert quod «Joannes, omnium postremus, cum videret in aliorum Evangeliiis ea quae ad humanam Christi naturam pertinent tradita esse, Divino Spiritu adflatus, pneumaticum (*spirituale*) Evangelium familiarium suorum rogatu conscripsit.» (1)

Quibus jam addi liceat Theophilus, olim idolorum cultor, dein ad ann. 169 Antiochenus sextus antistes, qui, Religionis defendendae causa, tres ad Antolycum libros conscripsit, in quorum II, c. 21, ad IV Evangelium clare alludens, ait: «quemadmodum docent SS. Scripturae et omnes Spiritu Sancto pleni scriptores, ex quibus Joannes dicit: *In principio erat Verbum...*»

Insuper praetermittiere fas non erit *Muratorianum Fragmentum*, Mediolani ann. 1740 inventum, cujus authenticam critici ultro concedunt, quodque ad initium III saeculi vulgo refertur, licet etiam ad finem II saeculi, forte paullo post Pii I pontificatum, revocari commode possit. In ejus igitur Librorum N. T. catalogo cum agit de Evangelio Joannis, illius nempe discipuli quem *visorem, auditorem, scriptorem omnium mirabilium Domini* infra appellat, haec habet: «quarti Evangelii Joannes (*est auctor*, ut ex contextu liquet) ex discipulis» i. e. ex apostolis (2)

Attamen perinclytum in re nostra nobis exhibet testimonium S. Irenaeus, Lugdunensis Episcopus, et Martyr praeclarissimus, peringentis auctoritatis vir non dicam ob ejus eximiae doctrinae copiam cujus causa a Tertulliano inter insignes viros recensetur et *omnium doctrinarum curiosissimus explorator* vocatur (3); sed etiam ob ejus studium Apostolicas traditiones investigandi ab immediatis Apostolorum discipulis et familiaribus, ex quibus, ut ipse refert (4), primo Magis-

(1) In ejus op. *Hypotyposes*. Vid. Murillo, *El cuarto Eoang. Introd. II.*

(2) Murillo, *ub. sup.*

(3) In lib. cont. Valent. c. V.

(4) In lib. III adv. haeres. c. III et ap. Euseb. V. 20.

trum habuit Polycarpum, tum Papiam, ut narrat Hieronymus (1) tum praecipue alium quemdam apostolicum virum, cujus nomen nescitur, sed cujus auctoritatem frequenter in suis libris appellat. Irenaeus igitur, Apostolicae traditionis haud dubio bene conscius, *lib. III adv. haer. c. I.* ita loquitur: «Postea et Joannes, discipulus Domini, qui et supra pectus ejus recumbebat, et ipse edidit Evangelium Ephesi Asiae commorans.»

Accedit Justinus, Martyr, Christianae Religionis saeculo II (ann. 103-167) propugnator strenuus, qui doctrinae et sanctitatis fama inclaruit ubique, quare ad Ecclesiae fidem per aetatem illam repraesentandam testis est maxime idoneus. In sua igitur *Apolog. I n° 61* manifeste commemorat illa Christi verba (2): *nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto...* item plura ex Joann. c. 1. desumpta afferuntur verba et locutiones in suo *Dialog. cum Triphon.*: unde non immerito concludes, quod Justinus Evangelium Joannis crebro prae manibus habuerit. Insuper haec omnia, ut ipse asserit, didicit ex Apostolorum Commentariis, quae vocantur Evangelia (3), quaeque continent omnia ad Salvatorem nostrum Jesum Christum pertinentia (4), prout sunt ab Apostolis conscripta, et quibus Christiani omnes summam praebent fidem (5).

Item in suis Epistolis, quarum septem nunc ut genuinae ab omnibus habentur, S. Ignatius M. idem praebet testimonium: scribens enim *ad Filadelphenses, c. VII*, facultatem agnoscit Spiritui Sancto *sciendi unde veniat et quo vadat*: nec non *ad Rom, VII*, de *aqua viva* loquitur quae intra ipsum est, quaeque dicit ei: *veni ad Patrem.... et infra, cibum, qui caro Christi est, et potum, qui est ejus Sanguis*, inhians desiderat.

(1) In catalog. et in Epist. 53, alias 29, ad Theod.

(2) *Joann*, III., 5.

(3) n.° 83.

(4) *Apol.* n.° 33.

(5) *ib.*

Locutiones autem hujusmodi, qua tales et in earum praesertim connexionione, non nisi in Evangelio Joannis passim occurrere latet neminem.

Demum, aliis pluribus praetermissis testibus, utque hujusmodi testimoniorum modum jam faciam, catalogo finem imponat Hermas, quem alii dicunt II saeculo vixisse, alii vero coaevum et Pauli Apostoli comitem asserunt; qui quidem perquam plura ex Joannis Evangelio inserit in opere, quod conscripsit, cuique titulus *Pastor* est.

Ex his ergo, quae huc usque recensuimus argumenta, liquido constat nullam II saeculo exstitisse de ioannica IV Evangelii origine dubitationem.

Equidem his haud dubio satis esset, sed ad ampliorem rei confirmationem liceat quoque quaedam hic ethnicorum haereticorumque testimonia historica lustrare, illorum praecipue qui vel aetate Apostolica vel paullo post vivere.

Adest in primis Tatianus, primum S. Justini discipulus, dein in haeresim lapsus, Encratitarum seu Severaniorum parens; qui licet IV Evangelium suis erroribus accommodare contenderet, ipsum tamen ut ejus, cujus nomen gerebat, admisit, librumque quemdam composuit IV Evangelii cum tribus prioribus concordiam aliquam statuentem.

Prostant deinde quaedam Gnosticorum sectae, quarum origo in priori saeculi II parte est collocanda. Sane, Basilides qui sub Adriano, ann. 117-138, suos sparsit errores; Valentinus, ex quo Valentiniani nomen duxerunt; et Ptolomaeus, praecipuus ejus sectator, IV Evangelium admittebant eoque utebantur et quidem ut ab Apostolo Joanne conscripto. Item, ab eodem Haeresiarcha edocti, integrum Joannis Evangelium, Irenaeo teste (1), usi sunt Valentiniani, ex quibus est Heracleon, qui *Commentarium in Joannis Evangelium* scrip-

(1) *Cont. Haer. III, 11.*

sit, cujus plura fragmenta ab Origene recitantur (1)

Succedunt Paganorum testimonia. Ac primum quidem testimonium Celsi, quem, aiente Origine (2), tulit aetas Apostolis proxima, quique omnes noscens Christianorum libros, quos sub *Evangelii* nomine commemorat, simul et omnes irridet atque falsos esse contendit: eorum autem nullo unquam loco inficiatur authentiam. Huic etiam maxime adhaeret Porphyrius, ethnicorum omnium, qui contra Christianam fidem scripsere, doctissimum quemque; qui vero, licet cunctos N. T. libros acriter impugnarit, eorum tamen genuinitatem nullatenus recusavit, quae sane compendiarie via nihilominus ipsi fuisset ad Christianam Religionem labefactandam.

Concludere ergo jam possumus quod demonstrandum assumpsimus, persuasionem nempe certam, perpetuam et universalem quoad ioannicam IV Evangelii originem in Ecclesia imo et extra Ecclesiam Catholicam, tribus prioribus saeculis exstitisse. Recte Ewald: *ut quis, ait, ioannicam IV Evangelii originem in contentionem abducat, insaniat primum necesse est* (3)

Et haec de argumentis propugnantibus necnon et de altera mei pensi parte satis superque sint dicta.

Jam igitur tertiam et ultimam orationis meae invadimus partem, cui erit oppugnantia externa argumenta, Modernistarum nempe, quam brevissime potero confutare.

Profecto Joannis Evangelii authentia, uti vidimus, ab omnibus unanimiter tribus prioribus saeculis fuit admisa: una tantum haereticorum secta, quos S. Epiphanius ludibrio habens *alogos* appellavit, illam in dubium ausi sunt revocare: nihilque in hoc mirum; ipsi enim qui Verbum repudiabant, Evan-

(1) Ubaldi, *ib. sect. I. c. I et Vigouroux, ub. sup.*

(2) *Lib. cont. cels.*

(3) Apud Vigouroux, *loc cit.*

gelium Verbi quodammodo repudiare cogeantur (1). Fato miserrimo id atri nostri ac inauspicati dies in se erant recepturi quod Evangeliorum omnium divinissimum contumaci impugnationis systemate adversarentur ope praesertim Modernismi, qui novissimus adveniens, omnes omnium temporum deliramenta et errores sibi comparavit.

Sane pro certo illud habetur quod saeculo XVIII labente, ann. 1792, Evanson, quem alii admodum pauci sunt secuti, IV Evangelii genuinitatem impugnarit; cujus tamen opinio illico tunc temporis evanuit. Itidem non multo post, ann. 1820, Bretschneider ipsius IV. Evangelii authenticam scriptis respuit: simul autem constat tum sententiam ejurasse suam. Ast semel sparso semine, jam tum antiqua deficere coepit persuasio; et in hanc usque horam, horam inquàm tenebrarum earumque potestatum, principum scilicet hodiernae scientiae adversus Christum Domini in unum convenientium, tantum abest ut adversarii authenticam Joannis Evangelii quid vel minimum imminuerint, ut potius et numero et audacia plures in dies fiant; adeo ut sub auspiciis nefarii Rationalismi scholas ubique jam instituerint, quibus impudenti animo IV Evangelii genuinitatem et authenticam eorum asseclae penitus inficiantur, ducibus Harnack Berlinensis Academiae, Bousset Gottingensis, Jülicher Malbourgensis, et Holtzman Argentinensis Magistris ac Doctoribus, alias praeclaris.

Hujusmodi vero impugnationis apex cumulatusque ardor et procacitas penes eos hodie vel maxime est qui Modernistae nuncupantur, ii nempe Ecclesiae Christi adversarii quovis alio perniciosiores (2), qui haereseon omnium priscorum recentiorumque summam colligentes, et rationalistam et catholicum promiscue agunt (3), IV Evangelii auctorem minime Joannem fuisse asserentes, aut apostolum vel Apostolis familia-

(1) Didon, *Jesucristo, Int. V.*

(2) Pius X, *Enc. Pascendi*,

(3) *ib.*

rem discipulum; sed ignotum quemdam tertiae generationis scriptorem (1)

Profecto dolendum in primis est quam multos sive in Gallia, sive in Italia, imo et in Hispania, ad suum errorem pertraxerint Modernistae. Ea vero quae ipsorum praecipuus fautor Loisy, a S.S. nuperrime excommunicatus (2), contra nostram affert traditionalem thesim, ad haec potissimum capita redigi possunt: 1. ^{um}, nulla ante ann. 180 authentiae faventia inveniuntur testimonia: 2. ^{um}, Papias nihil in suis *Exegesibus* de IV Evangelii origine refert: alioquin Eusebius in priscorum testimoniis colligendis adeo studiosus, ea nunquam omisset sicut nec ea omittit quae de Marci et Mathaei Evangeliorum origine ipsemet Papias conscripsit: 3. ^{um}, IV Evangelii auctorem Cerinthum Alogi habuerunt: quonam vero pacto id unquam accidere potuisset, dum per id temporis unanimes erat in Asia de ioannica IV Evangelii origine persuasio? 4. ^{um}, Irenaeus in suo testimonio evagatur, nec quidquam nobis asserit super IV Evangelii origine quoad adjunctorum enumerationem minutatim factam: 5. ^{um}, ipsummet testimonium ex eo penitus labefactatur quod cohaesio destruitur Irenaeum inter et Polycarpum cum Joanne, dum Irenaeus improbe Polycarpi testimonium interpretatur; Joanni enim Apostolo adscribit Irenaeus quae Smyrnensis Antistes de Joanne Presbytero narrabat, scilicet quod sermones cum Joanne *Discipulo Domini* familiariter in Asia contulisset: hic namque Joannes non quidem Joannes Apostolus est, sed presbyter; nam Papias fragmentum luculenter demonstrat Joannem Apostolum nunquam Asiam peragrasse. Denique Irenaei testimonium testimonio Polycarpi nullatenus innititur; ipsum enim ut illius assertionis testem minime commemorat: quod si eum commemorasset,

(1) *Il Programma dei Modernisti*. Roma, 1908. Vid. etiam Loisy, *L'Évangile et l'Église*, 1902, et *Autour d'un petit livre*, 1903.

(2) Ex Dec. S. O. 13 Feb. 1908.

tum etiam Irenaei testimonium nullius roboris esset; allucinatur enim et a veritate maxime aberrat dum Asiae Presbyteros ut testes affert aetatis provectae Domini, quam certo memorati Presbyteri attestari nequibant: 6. ^{um}, quod attinet ad Muratorianum Fragmentum, Clementem Alexandrinum et Tertullianum, serius venisse et fabulis quam plurimis esse permixta dubium est nemini (1).

En Modernistarum perinsignis Coryphaei argumentorum synopsis. En objectionum omnium summa, quibus in quaestione ioannica, uti dicunt, expendenda, contra IV Evangelii authenticam Modernistae impetunt. Cujusvis oculos primore contuitu vividius haud dubio perstringunt: ast liceat, jubente Angelo imo faventibus superis, grandis hujus piscis viscera seu intima illius exenterare et, nedum laedant, rem nostram vel maxime collustrabunt: argumenta igitur singula perlustremus.

Ad primum ergo quod attinet, jam antea diximus eam esse omnium quae supra adduximus, testimoniorum indolem ac naturam, ut testes qui ipsis subscribunt, non suam praecipue opinionem propriam ostendant, sed antiquiorem quamque et apud omnes diu receptam totius Ecclesiae persuasionem. Idcirco etiam ad majorum traditionem expresse nonnunquam appellant: ita Tertullianus, statuens *id verius quod prius*, nempe *quod apud Ecclesias ab Apostolis fundatas fuerit sacrosantum* (2): ita quoque Clemens Alexandrinus familiares vel immediatos aut parum remotos Apostolorum discipulos invocans (3): quoad Irenaeum spectat, eum recitare Polycarpi testimonium cordatiores hodie critici conveniunt omnes. Verum recta via idem teneamus. Falsum etenim proloquitur Loisy dum asserit ulla testimonia ante ann. 180 traditionis thesim

(1) Ita el. Murillo, *op. sup. cit. Introd. V. et L'ami du Clergé, ann. 1900, T. XV.*

(2) *Cont. Marc. lib. IV. cap. V.*

(3) *ib. sup.*

propugnancia non inveniri: testimonia namque S. Justini, ab ipso Harnackio incunctanter recepta, ad dimidiam usque II saeculi priorem partem, ad ann. nempe 140 circiter, sunt referenda: insuper Theophilus jam per ann. 169 Antiochenus Antistes, e vivis prope ann. 180 migravit: ejus igitur testimonium ante ann. 180 necessario est collocandum. Accedit quod, ut nuper innuimus, iidem Irenaeus, Clemens Alexandrinus et Tertullianus perpetuam atque ab ejus primordiis in universa Ecclesia fuisse de ioannica IV Evangelii origine persuasionem manifeste consultoque declarant.

Ad 2^{am} igitur pergamus objectionem. Profecto praesens argumentum duplici ex capite mere negativum apparet, scilicet, ex Papias silentio et ex Eusebii omissione, Porro, licet contra positivum Ecclesiae testimonium nihil, ut patet, argumenta mere negativa possent unquam probare, attamen quoad Papias silentium id quoque notare velitis quod Modernistae nimis gratuito illud affirmare videntur: Papias namque libri integri nobis minime supersunt. Praeterea Eusebius omittit Papias de Joanne testimonium (1) quia id ejus scopus non postulabat: Eusebius enim antiquorum de omnibus N. T. libris testimonia nequaquam affert, sed de iis tantum de quibus aliqua erat dubitatio: de libris vero protocanonicis, ea tantum testimonia profert quae circumstantiam aliquam specialem auctoris vel descriptionis eorundem aperiebant, uti est Papias testimonium de Mathaei et Marci Evangeliiis (2). Imo Papiam priorem Joannis Epistolam agnovisse ipsemet Eusebius ibidem asserit: hanc autem Epistolam Evangelium supponere eumdemque prorsus auctorem habuisse latet nemini. Ne plura, quidquid de Papias fuerit silentio, id unum nobis inconcussum est quod Papias nihil in suis *Exegesibus* adversus traditionis testimonium conscripserit: secus nec Eusebius (3) tra-

(1) *Hist. Ecc; lib. III.*

(2) Ita cl. Ubaldi, *Introd, crit, in S. S., P. I, c. I.*

(3) *ub. sup.*

ditionem de ioannica IV Evangelii origine ut historice prorsus indubitata protulisset; nec Irenaeus omnes Papiæ libros probe noscens, Joannem fuisse IV Evangelii auctorem unquam asseruisset *in lib. contra Gnosticos*, quibus id Irenæo objicere magnopere sane placuisset. Itaque, aientibus Eusebii ac Irenæi testimoniis, eorum nempe qui omnia Papiæ opera perlegerant, quorum et prior aetate facto vel proxima in vivis fuit, Loisyanae profecto conjecturae et nimis gratuito commenta, duodeviginti jam tum transactis saeculis, pro nihilo haud dubio sunt reputanda.

Ad Alogos quod spectat, non est cur frustra immoremur: satis namque superque innuimus dum supra de erroris historia egimus.

Ad 4.^{um} autem adgressus argumentum, fere nescio quid dixerim: longe enim impudentissime in eo asseritur Irenaeum in suo expendendo testimonio, ancipitem se habere, nec quidquam ad adjuncta quod attinet originis IV Evangelii adamsim asseverasse: quidnam, quaeso, Irenæi testimonio luculentius? annon inter originis IV Evangelii adjuncta erunt adnumeranda quae Irenaeus singillatim tradit, scilicet, *illius auctorem fuisse Joannem, Discipulum Domini*, non vero quemvis discipulum sed eum *qui supra pectus Domini in coena recubuit*; illud Ephesi commorantem confecisse, et quidem ad Cerinthi errores concutiendos? Sed haec ad hujus argumenti confutationem sufficient.

Ad 5.^{um} igitur veniamus, quod jure praecipuum ducitur, argumentum: hujus vero gigantis vis ac robur in ejus sane pulchra caesarie est, quam tondemus. Equidem tria, ni fallor, membra complectitur: primum chronologicae cohaesionis Irenaeum inter et Polycarpum cum Joanne existentiam respicit: alterum cujusdam Irenæi omissionis causam arbitratur: tertium denique ejusdem Irenæi testimoniorum valorem spectat. Singula deinceps expendamus.

Jam ad primum sic arguunt. Papiæ fragmentum luculen-

ter demonstrat Joannem Apostolum Asiam non pergrasse: ergo Irenaeus, dum Polycarpi verba refert, eum improbe interpretatur, Joannem cum Joanne confundens, apostolum nempe cum discipulo. Sane antecedentis veritate posita, consequentis robur ac vis cohaesionem Irenaeum inter et Polycarpum cum Joanne penitus extinguerent: hocque praecipuum est Harnackii argumentum, ejus eximio ingenio sane consonum, quodque uti proprium Modernistae recitant.

Ast falsum est quod Papiae fragmentum possibilitatem excludat adventus Joannis Apostoli in Asiam: alioquin; quid est quod Eusebius incautanter admittit, et memoratum adventum, et ea quae Irenaeus et saeculi II traditiones tenent de Joannis Apostoli praedicatione, ejusque in Asia evangelicis laboribus? Sed ipsum audiamus Harnackium alibi scribentem (1): In *quaestione*, inquit, *ioannica* dilucidanda, si Papiae testimonium perlustremus, quoddam *non liquet* disceptationi finem imponit»: et infra; «Papiae fragmentum haud certo excludit quod possibile fuerit Zebedaei Filium Asiam pergrasse, ibique ad tempus usque Trajani evangelice adlaborasse». Unde non immerito concludes Papiae testimonium *permittere* quod ut possibile quisque admittat Joannem Apostolum in Asiam fuisse profectum: quod si textus id permittit, perplura Irenaei et traditionis II saeculi aientia testimonia nos, Harnackio non excepto, *et urgere, et cogere* necessario debent ut admittamus Joannem Apostolum Asiam pergrasse et ea quae ipsius adventum in praedictis testimoniis comitantur, scilicet; quod cum Presbyteris communicasset; quod cum Polycarpo ipsoque Papia sermones familiariter contulisset; et demum quod Evangelium, quod ejus nomen gerit, ibidem confecisset. Caeterum, cognominum seu appositorum species, *presbyteri* nempe et *discipuli* quibus Papias in suo fragmento alterum Joannem vocat, nedum adversentur, imo vel maxime conveniunt

(1) *Chronol.* p. 668 et 673.

priori Joanni, quem ille ita nominat, cum insuper nobis constet quod Apostolici Collegii viros non *apostolos* sed *discipulos* Papias semper appellaverit (1). Et haec de priori argumenti membro. Modo alterum invadimus, in quo nempe Loisy objicit Irenaeum Polycarpi testimonio haudquaquam inniti, quia ipsum non commemorat. Equidem Irenaeus Polycarpi testimonium non invocat, verum non incongrue: origo namque IV Evangelii res erat tunc temporis omnibus adeo nota ut Irenaeo nullatenus in mentem veniret necesse fore ad ejus probationem per ullius generis argumenta accedere. Et haec pro alterius membri confutatione sufficient. Demum ad tertium accedamus argumenti membrum. Porro falsum est Irenaeum usquam asserere se ab Asiae Presbyteris edoctum fuisse quod Christus Jesus ann. 40 transegisset: id unum tantum Irenaeus asserit quod ab Asiae Presbyteris didicerit Christum non juvenili sed provecta sane aetate populos docuisse: quibus ipse postea proprio Marte subdit aetatem provectam ad ann. 40 vulgo apponi. Caeterum, caput XXII libri II *cont. haereses*, corruptum interpolatumve aliquando fuisse non temere credas. Et haec de tertio et ultimo hujus argumenti membro.

Ad 6.^{um}, igitur dum tandem ducimur argumentum, nihil attinet hic repetere quae ad primam Modernistarum objectionem supra exposimus. Id unum dumtaxat addere nobis liceat nullas omnino adesse fabulas in Tertulliani ac Clementis Alexandrini testimoniis: quod si quaedam Muratoriani fragmenti adjuncta Chronologiae aegre conveniunt, ea ad quaedam exigui momenti accidentia spectant; licet hujusmodi adjuncta, prout in celebri Muratori fragmento recensentur, praeclarii viri haud pauci, utputa Belser (2), nequaquam ut penitus improbabilia habere videantur.

Et haec de sexto et postremo Modernistarum argumento,

(1) Murillo, *ubi sup.*

(1) Ap. Murillo, *loc. cit.*

necnon et de tertia totius meae elaborationis parte satis superque sint dicta.

Paucis rem totam perstringens, id unum ex modo dictis colligendum apparet, quod sive nativa internave IV Evangelii argumenta lustremus, sive ea quae ejus genuinitatem et authenticam aut propugnant aut impetunt, haec tandem erit indubitata ex eis orta conclusio, nimirum; Evangelium Joannis ejus profecto esse, cujus nomen gerit.

Verum dicendi finem non faciam quin illuc denuo mea vertatur oratio, unde suum coepit initium. Porro, Christus Dominus in partes Caesareae Philippi quondam cum venisset, interrogavit, ait Mathaeus, discipulis suis dicens: *quem dicunt homines esse Filium hominis?* (1) Huic ergo Dominicae quaestioni responsum et nos praebeamus. Revera, licet illud Joannis (2): *ecce mundus totus post Eum abiit...* vel usque adeo cumulatus impleatur, ut inimicorum Ejus infensissimus quidam (3) agnoscere coactus fuerit cunctorum gentes populorum. Christum etiamnum Deum ubique dicere, ejusque suffragari dominationem; attamen, in signum contradictionis positus cum sit (4), Rationalistae, eorumque longe efficacissimi auxiliiatores, Modernistae nempe (5), non modo de Ejus dicunt Ecclesia scientiarum progressui infensam admodum se praebere (6), hodiernumque Catholicismum cum vera scientia componi nequire, nisi in quemdam Christianismum non dogmaticum, id est, in Protestantismum latum et liberalem, transformetur (7), verum etiam, ad Ejus quod spectat Personam venerandam, inceptum olim pharisaeorum laborem decurren-

(1) *Muth. XVI, 13.*

(2) *XII, 19.*

(3) *Renan, Vie de Jésus.*

(4) *Isai. VIII, 14, Luc. II, 24. Rom. IX, 33.*

(5) *Enc. Pascendi...*

(6) *S. R. U. I. 3 Jul. 1907, Lamentabili sane exitu, prop. 57.*

(7) *ib. prop. 65.*

tes, cui postea Christianae Religionis osores jugiter instarunt, dicunt alii Christum non esse Deum, alii quasi non sit eorum Dominus, eorumque demum quidam solito impudentiores ipsissimam Ejus historicam existentiam hostiliter discutunt, ac inter mythica Christum esse adnumerandum ore affirmant scelestissimo (1). Habes, igitur, quae hisce miseris diebus *dicunt homines esse Filium hominis*: sic enim de Christo Domino sentiunt naturalium scientiarum principes nefarii: nec quid mirum: *numquid ex principibus aliquis credidit in Eum?* (2).

Verum, superaddit Mathaeus Christum dein discipulis sic instasse: *vos autem quem me esse dicitis?* (3) Profecto, hujusmodi vobis, Alumni dilectissimi, iterata modo quaestione, communis omnium procul dubio foret etiam responsio ex Luc.: *Christum Dei* (4): vel ex Joann.: *Et nos credidimus, et agnovimus quia Tu es Christus Filius Dei* (5): vel ex Math. potius, utque meae orationis thematis hic repetam verba: *Tu es Christus, Filius Dei vivi* (6).

Sic, quaeso, semper stetis in Domini confessione, charissimi (7): quodque nunc voce contenditis, opere potius aliquando concionemini (8). Adest namque nobis Evangelium Joannis Apostoli, jure et *Theologi* nuncupati, cujus authenticam contra Modernistas impense vindicavimus, quodque Christi Divinitatis amplissima quaeque asseveratio est, miraculis profecto in eo enarratis divinitus roborata. In ejus, igitur, studium magnopere incumbite: illud assidue diu noctuque evolvite; nec unquam de manibus deponatis Evangelium de quo creber fuit et constans ipsorum ethnicorum sermo illud aureis litteris conscribi, cunctisque coetibus ob oculos ver-

(1) Faber, *op. conc. in hunc loc.*

(2) *Joann. VII, 48.*

(3) *ib. sup. v. 15.*

(4) IX, 20.

(5) VI, 70.

(6) XVI, 16.

(7) Philip. IV, 1.

(8) S. Aegidius, *in Joann, VIII.*

sari maxime oportere. Cumque *inimicus homo* (1), hodiernae scilicet impietatis asseclae, pravarumque novitatum amatores infestum semen, altioris nempe et radicalis, uti aiunt, critices commenta, in medio tritici superseminarint, vosmetipsos confirmate, sitque super vos Evangelium Joannis ut cum olim fideles, Augustino teste (2), illud supra sua capita in salutis signum statuebant. Numquid praeterea? Sane, Paulus V praecipisse legitur, ut per clericos, cum aegros adirent, Joannis Evangelium ante ipsos recitaretur, ad amissam valetudinem recuperandam (3). Enimvero; *ecce quem Jesus amat, infirmatur* (4); societas namque, populique christiani quam vel maxime, quatuor abhinc saeculis, aegrota fide laborent et langueant, imo et in dies singulos gravescant infauste, apud omnes manifestum apparet. Dum ergo nostrae inauspicatae aetatis acatholici pseudosapientes Christum Divinitate expoliant sua; dumque hujus saeculi insanientes quaedam potestates Illum, Ejusque doctrinam proscribere conantur, ac furore praecipites ipsam Ejus Crucem e locis evellunt, quibus et jus administratur, et juventa liberalibus eruditur disciplinis, ne tum animum abjiciatis; eosque Verbi Evangelium edocentes, vestrarum laudum in eo quaeratis segetem uberrimam ut *lapidem, quem reprobaverunt aedificantes, hic in caput anguli sit constitutus* (5); et, licet argentum et aurum vobis non fuerit (6), in nomine Jesu Christi Nazareni, non dicam claudum surgere et ambulare, sed et aegrotos statim convallescere, et vel ipsos quatruiduanos defunctos fratres haud dubie in fidei vitam redire facietis.

Proinde, in hujus, caeterorumque SS. Librorum accuratissi-

(1) Math. XIII, 25.

(2) Ap. Gaume, *Catec. de Persev, T. VII. lec. 23.*

(3) *Id. ib.*

(4) *Joann, XI, 3.*

(5) *Math. XXI, 42—Ps. CXVII, 22.*

(6) *Act. III, 6.*

mo studio modum numquam ullum agnoscatis (1). Adsit vobis prece, suisque auxiliis Virgo Immaculata, cunctarum haeresum interemprix, ut hoc manna, quod non nisi mane invenitur, in mane juventutis rite cumulatusque colligatis (2). Faxitque Deus, in suam gloriam, Ecclesiae honorem, hujusque Divi Indaletii C. Seminarii splendorem et nomen, ut sit unusquisque vestrum *scriba doctus in regno coelorum*, id est in Ecclesia (3), *qui proferat de thesauro suo nova et vetera* (4); quique, postquam ad justitiam plurimos erudieritis, in coelis, quod vobis adprecor, *ut splendor firmamenti fulgeatis, et quasi stellae in perpetuas aeternitates* (5).

Dixi.



-
- (1) Leo XIII, *ad Ital. Episc.* 15 Feb. 1882.
(2) Hugo Card. *sup. Isai LI.*
(3) S. Greg. *Hom XII.*
(4) Math. XIII, 52.
(5) Dan. XII. 3.